

/ Habemus hic monasterium unum sanctae Clarae, et alterum Aquiani, in quibus sorores jejuniis, vigiliis, pedum nuditate, ac multis aliis corporis macerationibus Deo optimo maximo servire conantur; cumque mendicatis hinc inde eleemosynis hactenus quamvis aegerrime, 5 inter multas et frequentissimas aegritudines utcumque vixerint; nunc demum res ad eum statum redacta est, ut nulla prorsus ratione earum victui provideri possit, nisi Sedes apostolica cum eis dispensare dignetur, ut in communi praedia et alia bona immobilia possidere possint.

10 Nam triginta annorum bellum durissimum, ac crebrae infestissimaeque haereticorum incursiones effecerunt, ut in hac Gebennensi dioecesi deinceps inveniri non possint eleemosynae, quae monasteriis istis sustentandis et alendis sufficere queant.

Mitto mendicitatem feminarum, ut experimento certissimo constat, 15 acerrimis sollicitudinibus, continuis, immoderatis ac melancholicis cogitationibus, importunis de modo quaerendi et habendi inventionibus, et inquietissimis anxietatibus, plenissimam esse.

Quare videns paupertatem hanc extremam interior vitae plurimum obesse, neque posse moniales istas diutius in proposito perseverare, 20 nisi de remedio opportuno illis a Sede apostolica provideatur, quamvis non mihi, sed ordini fratrum minorum, cura illarum incumbat, nolui tamen committere quin earum super hac re supplicationem et preces, quas sanctissimo domino nostro offerre intendunt, meis etiam humillimis votis adjuvarem apud dominationis vestrae illustrissimae 25 clementiam quam illis summopere cupio propitiam.

Eandem interim obiter admonens, in istis monasteriis mulierum hujus provinciae nullo modo observari concilii Tridentini saluberrima decreta de confessario extraordinario bis terve in anno monialibus dando, et de puellis feminisve ante professionem ab episcopo proban- 30 dis. Quin etiam, quando per jubilaum cuicumque licet quam maluerint, ab ordinario approbatum, confessarium eligere, per summum nefas istis

/ haec via sol^{lev}andi conscientias suas intercluditur.

Atque hoc illustrissimae dominationi vestrae aperuisse satis sit.
Deus autem ipsam quam diutissime servet incolumem, cujus sacras manus humillime exosculor.

5 Oeuvres compl.de St.François de Sales t.VI; Paris,1875;p.405 ss.

" de St.Fr.de S t.XVIII (lettres t.VIII) Annecy 1912 p.91 ss.